



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Cap. XII. Ad cap. 14. de temp. ord.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224

HÆc decretalis integra exstat apud Innocentium *lib. 1. Epist. Nouarchi*
231. ad Abbatem & Conuentum Cariloci. De quo mona-
sterio supra ad cap. Ex parte. 33. de Rescript. Agitur de mona-
nacho ad sacerdotii ordinem promoti, ordinis Cisterci-
ensis, ad Monachos nigros se transferente, id est, ad Benedictinos.
 Nigri enim sunt Benedictini, Albi Cistercienses de vestitu appella-
 ti, *cap. Ex parte. de Decim. Pet. Cluniacensis apol. aduers. Cisterci-*
ens. lib. 1. Epist. 28. Et vos sancti, vos singulares, vos in universo orbe
verè monachi, aliis omnibus falsis & perditis, secundum nominis in-
terpretationem solos vos inter omnes constituistis, unde & habitum
insoliti coloris prætenditis, & ad distinctionem cunctorum totius ferè
mundi monachorum inter nigros vos candidos ostentatis. Quare-
 batur, an post ordinem susceptum relicto habitu nigro ad Cister-
 cienses redire posset? Ratio dubitandi, quod Cisterciensis se ad ni-
 gros conferens, videretur apostatasse, quasi transisset ad laxiorem
 regulam. Erat enim Benedictinorum familia disciplinâ remissio-
 re, ejusque Cistercienses propterea exosi. Quare Bernardus Cla-
 reuallensis, Robertum nepotem suum, cum à Cisterciensibus mi-
 grasset Cluniacum, quasi prævaricatorem revocare conatus est, *E-*
pi. 1. Monacho autem non licet transire ad laxioris disciplinæ or-
dinem saltem sine veniâ summi Pontificis. cap. licet. de Regular. Ra-
 tio decidendi, quia non potest arctior videri Cisterciensium ordo
 cum & ipsi non aliam, quàm Benedicti regulam profiteantur, id-
 eoque ordinibus ritè susceptis nil vetat, quo minus in susceptis à
 Benedictinis ordinibus ministrare queat.

CAP. XII.

Ad cap. 14. de temp. ord.

S U M M A R I A.

1. Legio, urbs Hispan.

3. Species hujus capituli.

2. Ovetum.

Honorius III. rescribit Episcopo Legionensi. Legio urbs *Legio, urbs*
 Hispaniæ Leon, à Leovigildo Gothorum Rege denomina- *Hispan.*
 ta, teste Isidoro *Chron. 2.* Agitur de quodam Episcopo,
 quem Raymundus Conuentensem ponit. In Manuscripto
 autem Ovetonensis vel Ovensis reperitur. Ovetum urbs Gallæciæ, *Ovetum.*
 olim

Species hujus capituli. olim Regia, fundata regnante Sylone, Rege Gallæciæ, in monte Oveto, quo Monachi Benedictini monasterium in honorem Vincentii statuerant. Unde Ecclesia Ovetensis orta. Principes Gallæciæ sedem transtulerunt Legionem, unde Honorius ad Episcopum Legionensem scribit. Plus quam incertum est, quod Raymundus Conventriensem intrusit suffraganeum Cantuariensis in Angliâ. Credidit fortè eundem casum esse qui Cap. 2. & 3. Infra de ætate & qualitate habetur. Etenim & in hoc c. Episcopum Ovetensem acriter defricat Honorius, quod puerum tredecennem ordinaverat.

CAP. XIII.

Ad cap. 15. de tempo. ord.

S U M M A R I A.

1. Auctor hujus decretalis.
2. Emendatur Inscriptio.
3. Summa capit.

Auctor hujus decretalis.

Emendatur Inscriptio.

Summa capit.

Raymundus adscribit hanc decretalem Honorio perperam. Est enim Innocentii III. & exstat integra in *lib. 13. Registri Epistol. 194.* Et id est primum Raymundi *regegequa.* Alterum; Legitur; *Letonensi & Cal. ab. vel Cala. Abbati.* Nec melius *cap. 1. eod. tit. in 4. Compil.* de Leonensi & Sabbariniensi Abbatibus. Ex regesto restituatur hoc modo: Laoniensi & Finabarensi Episcopis & Abbati de Magio Limiricensis diocesis. Hi Episcopatus sunt in Hibernia, provinciâ Momonia: Lioniensis seu Leoniensis, Limiricensis seu Limitinensis, Finaborensis, Archiepiscopi Casselensis suffraganei, ut & Imilicensis, de cujus electione hîc agitur. Pro quo Raymundus *Humiliensis.* At Midensis, Archiepiscopi Armachani, totius Hiberniæ Primatis, suffraganeus est. Denique non magis benè legitur pro Roffensi Trecensis. Summa capituli huc credit: Quod Imilensis electus, nedum subdiaconus unâ eademque die, ordinante Roffensi Archiepiscopo ad sacerdotii dignitatem elatus fuisset. Pauli enim Apostoli auctoritate manus nulli cito sunt imponenda. Vide *can. 13. concil. Sardic.* Capitulum integrum ex Regesto adjicio: Dilectus filius W. Imilicensis Canonicus nostro dudum Apostolatui referavit, quod Imilicensis Ecclesia suo viduata Pastore Concanonici sui de substituendi Pastoris electione tractantes ipsum unanimiter elegerunt. Qui cum esset citra sacros ordines

con-